3


HONORI SACRVM
MERITO SACRVM
IVONIS VIRTVS GEMINO CONTERMINA TEMPLO
Dom. Barrier inu. et Scul



IVONIANVM TEMPLVM SIVE DE S. IVONE PAVPERVM PATRONO ORATIO

Habita in eiuſdem Templo

AD EMINENTISSIMOS

S. R. E. CARDINALES

AB ANTONIO BLANCARIO ROMANO

Sem. Rom. Cler.

ROMÆ,

Ex Typographia Ignatij de Lazari. M.DC.LIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

IVONIANVM TEMPLVM SIVE DE S. IVONE PAVPERVM PATRONO ORATIO

Habita in eiusdem Templo

AD EMINENTISSIMOS

S.R.E. CARDINALES

A ANTONIO BLANCARIO ROMANO

[illegible]



ROMAE,

Ex Typographia [illegible] M.DC.LIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISS.mo AC REVERENDISS.mo PRINCIPI

MARTIO
CARD. GINNETTO
S. R. E. VICARIO

Antonius Blancarius Seminari Romani Cler. Rel.

Erecta nuper IVONI Meriti, & Honoris delubra, te Patronum nominatim expectant Eminentiss. P. Cui iam dudum liberum patuit vtrumque limen. Antequàm enim tantæ dignitatis Solium attingeres, virtutis callem perenni glacie rigentem, imperterritus percurristi. Propterea tuorum fulgore meritorum magis ea purpura nitet, quàm ardeat fucata concharum succo. Enimuerò haud lactea est, quæ ducit ad tantam gloriam semita: Non vt frugis, ita virtutis sunt semina: Illa sanè, flante Borea, ponere, est veti-

tum ; ista tunc feruntur melius , cum acrius perstrepunt Aquilones. Id, quod plagis septemtrionalibus quondam adlegatus experimento comprobasti. Eas porrò inter niues proiecta semina , lætiorem tulere messem , Virtutis tuæ coronamentum , quod modo tibi Vrbs , cor orbis faustissimo successu , supremæ in terris maiestatis Vicario, gratulatur. Tantis ergo meritis, veluti aræ mihi notissimæ, Sisto meum hoc tenuissimum opus, vt, quod deest illi, tua desumat decus ab vmbra, qua verius, quàm luce publica illustrabitur. vale.

ORATIO

MAGNARVM Vrbium concertationes, & prælia populorum, haud nunc primùm suorum cruore madens admiratus est orbis terrarum. Eminentissimi Principes: Ea tamen, vel ambitio mouit, vel parauit iniuria. Pauca admodum calent certaminum iurgia æstu pietatis. Quippe vt plurimùm pro læso regnantium iure, aut Rerumpublicarum authoritate tuenda, aut denique pro regnorum limitibus propagandis decertatur: sibi, non Deo, Diuisque armantur in acie dexteræ bellatorum; Terræ proinde dimicant non Cœlo. Nouam ego hodiè bellorum faciem, nouumque genus armorum afferam: Romam scilicet Galliæ congredientem, mutuoque fœdere amica inuicem ferentes bella; vtrâ earum videlicet plus IVONIS gloriæ contulerit, quæue in illius laudibus partem sibi arroget potiorem, altercationis innocuæ summa est. Neq; ista vt Achillis cum Scamandro Fluuio fabulosa contentio est, sed qualem propter Homeri præstantissimam gloriam sibi vindicandam iniere septem Vrbes in Græcia. Mei erit muneris rationum pondera coràm proferre, vt quorum sapientia, & consilio, in sacro Vaticani Areopago, orbis regitur vniuersus, illorum iudicio tantæ litis controuersia dirimatur. Heroum fœcunda semper genitrix Gallia, & grandium animarum theatrum, amplissimum IVONI campum aperuit, in quo æterna meritorum iacta sunt semina, vt inde, vel Romæ, in eo sapientiæ foro, in hoc templo vberrimam demeteret palmarum segetem. Excelsas machinas ad Cœlum attollere impensis principum, labore opificum, constat; illas verò promereri heroicæ opus est, diuinæq; virtutis. Ingentes animi, ingentibus quoque rerum discriminibus patent, cùm plerique mortalium, quos imitari nequeunt sollicita virtutum æmulatione, lacessere non omittant pertinacissima simultate: Sublimis tamen est mentis aduersa malle, quàm affectare fœlicia;

Illa

Illa enim frangunt animos, non firmant; vti nimia fœcunditas maturitatem vetat, & segetem sternit copiosa nimium vbertas. Quam spectamus erectam nuper I V O N I augustam molem in Romanæ sapientiæ lyceo, ac domicilio Templum Honoris, illud est, quod non primùm deuotum IVONI nouimus; quàm Meriti delubrum virtutum manibus, atque adeò omnium contrà enitentium incommodorum experimento, fabrefactum, I V O ipse penetrarit in Gallia.

Exactà inter paternæ domus blanditias adolescentia, diuinarum litterarum causa, Parisios primùm, deinde Aureliam mittitur. Mentem profectò humana maiorem indiderunt IVVENI ea studia, quibus velut occulta face, rapiebatur in Cœlum: non illi monitore opus; vt quæcunque è Theologorum assertis hauriret principia, facilè singula transferret in Numen, supremum scopum disciplinarum, sed quemadmodum solis radij terram quidem contingunt, soli tamen, vnde funduntur, adhærent; ita mens Iuuenis omnia referre in Deum, primam sapientiæ omnis originem, atque hinc omnia penitùs despicere, præter Deum, & pauperes, quorum squalor summæ illi maiestati magis in pretio est, quàm laurea Imperatorum. Nec defuêre, inter innumera cœlestis liberalitatis munera, quibus detinebatur I V O, quæ animum aliò deflectere conarentur ab instituto, malè suada voluptatum irritamenta; quæ vti nexus nefarios, districto integritatis gladio, infestus abscidit, & perfractis cohærentibus mutuò loris scelerum regnum, sibi adsciuit candoris integerrimi. Quod sanè regnum ideò stabili gradu stetisse in I V O N E arbitror, quòd iuuenili furori facem primis ab annis subduxerit, minimùmq; virium effrænatæ licentiæ concesserit, interdicto sibi, ex quo Aureliam profectus est, vini haustu, iuuentutis incendio, suis solummodò contentus lacrymis; quasi eo fonte lacrymarum, quas in officina cordis flagrantissimus innocentiæ calor iugiter eliquabat, dulciùs eius animus enutriretur: sed hinc, veluti gradu ad rigidiora prouectus, vt acuminatos, atque sollicitos gestaret vsque secum admonitores, studiosus amator, ne vn-

quam

quam à Dei prospectu deflecteret lumina, horrentem setis hispidum amiculum induit, humique, saxo innixus placidissimè pernoctabat, quamquam IVONI quæ nox poterat oboriri, continuò excubanti ad clarissimam lucem sacri voluminis, quo capiti ex more supposito, diuinum quid hauriebat, atque in somno naturæ occludens oculos, Deo in ijs paginis adaperiebat.

Sed tanti viri fama, licet vero minor, breui tota Gallia percrebuit; imò vt quorumdam florum fert natura suauior longinquis oluit, & absens Ecclesiasticis dignitatibus destinatur: Accersitus enim Trecorensi ab Episcopo iudiciariæ potestatis foro præficitur. Preclarè tunc IVO secum actum existimauit, quòd ex illo dignitatis fastigio, alij vtilitatem, ipse sola incommoda, seruus publicus, occupasset. Dulciùs eo in solio quiescebat, modo propiùs assiderent, qui vnicè amabantur, pauperes. Iure subindè optimo cor pauperum, voce publica, ferebatur, vel quia eorum semper medius, ac perpetuo, salubriq; motu robur sufficeret afflictis membris, vel quia eius imperium in subiectas partes regium erat, & amantis per beneficia non tyrannicum, & terrentis per iniurias. Testor hic amabiles illos lacrymarum imbres in reos toties antè sententiam ferendam effusos, ita vt ambigeres, an plùs cruoris è reorum venis iustitiæ gladius hauriret, an plùs lacrymarum, hoc est cordis sanguinem, in reos amor effunderet. Testor hic inauditam iudicis amantissimi clementiam, qua de suis facultatibus mulctam inopi statuere, ipse innocens impellebatur; haud patiens propter pecuniarum inopiam torpere misericordiam. Testor hic denique opum suppetias pauperibus erogatas, quibus possent prosequi causas, non veritates, sed argenti luce destitutas. Non illi magnæ molis opus aliena promptè negligere, quippe qui propria adeò profusè suggereret indigentibus. Debitum labori iudicis pretium sibi nusquam exhiberi voluisse ratum est: siue quòd pretium ingens esse duceret suprà cæteros eminere, siue quòd nollet Astreæ libram inclinationi assuescere, auri quādoq; pondus examinantem æquis lancibus, siue demum quòd

non

non valeret ad solis diuini radios, quibus assueuerat, rationum momenta librare in posterum, si semel argenti nitor suis à manibus affulsisset.

Quid mirú ergo, si tâm celsa IVONIS merita orbis vniuersus admirabundus veneretur? Quid, si elementa ipsa tantæ lucis fulgore perculsa hæserint? Iam iam suprema magnæ domus fastigia, inuoluente flammarum globo, quem nulla poterat vis accurrentium comprimere, constat, IVONEM solo intuitu bacchantis impetum ignis extinxisse: Id quod, vel à fluctibus editum legimus; Nam aucta quondam fluminis vndarum contumacia, succedente identidem adlabentium riuorum colluuie intumuit, & aggeres dedignanter iam patiens aruis, pagisq; tumulentus fluuius superinciderat; at nutu Imperantis IVONIS penè perterritus de repente subsidit, diuisusq; stetit nouo Mosi sicco in tramite incedenti, non sine illustri documento venerabundi elementi. Sed non verbis est opus, diuino verbo sublimia hæc merita contestante. An latet Deum ipsum sub egeni specie eius tectum subijsse, vnà consedisse, allocutum amicè, depastum ex eadem lance, afflatum IVONEM diuino spiritu, diuini denique verbi contubernio, atq; conuictu dignatum?

At quando angustijs temporis premor, quàm multa perpaucis expediam, necesse est. Qui superest, exponendus Romæ IVONI obsequentis est honos. Is planè IVONIANÆ virtutis appendix est, quam non ambiendo, sed fugiendo potitus est: Occurrit honos inquirenti virtutem, neque virtus est, vbi præter ipsam, aliquid etiam ipsius appetitur. gloriæ solium prementem IVONEM mirabimur, veluti humanæ gloriæ triumphatorem, nobiliorem sortitum. Alienæ siquidem opus munificentiæ, hominum gloria est, non propriæ argumentum virtutis; licet eiusdem vmbram perennem fecerit Deus, mortalium celebritatem, quam proinde frustrà dimouere conantur probitatis studiosi. Vrbis decora ad IVONIS virtutem exornandam, congesta, properanti non absimilis, indicabo, nec fortasse minore scena. Et porrò grandium est quarumdam rerum conditio, vt eò difficiliùs exprimantur, quò faciliùs in animis im-

pri-